

postaticam, vere & realiter, absque ulla naturarum & proprietatum commixtione, aut confusione, communicat, ad communem possessionem, denominationem atque usurpationem, sic credentibus, docentibus, & confitentibus Lutheranis, in *solida, plana ac perspicua Declaratione quorundam articulorum*, secundum Scripturam, Joh. I, 14. Cap. VI, 22. 23. 26. 27.

Humana Christi natura non est ubique per unionem personalem. Pag. m. 98. Aphorismus 3.
Est falsus & erroneus. Nam

1. Testatur quidem historia evangelica, Christum, ante & post resurrectionem, e loco in locum migrasse vere & proprie; attestatur autem eadem insimul, invisibiliter eum adfuisse, vidisseque ibi, quo non migraverat, Joh. I. 48. Joh. III, 13.

2. Licet testetur, illum etiam corporaliter, visibiliterque multis in locis non fuisse; Joh. XI, 15. Luc. XXIV, 6. Matth. XXVI, 11. asserit tamen simul invisibilem ejus praesentiam, Matth. XVIII, 20.

3. Non sequitur, Christum non potuisse vere nasci, mori, in caelum ascendere, scil. secundum humanam naturam, in se finitam, secundum quam, locum deserere, & novum acquirere potest, Act. X, 38. 39. 1. ad Tim. III, 16.

4. Ut verum sit, quod humana Christi natura in unione personali sit et maneat per se finita, i. e. suis ac alienis terminis intrinsece & extrinsece finiatur, quia est corporea; falsum tamen est, si inde negatur, eandem etiam esse ubique per unionem personalem, Matth. XVIII, 20.

Humana Christi natura non est omnipotens per suam unionem personalem. Pag. m. 99. Aphorismus 4.
Est falsus & erroneus. Quia, hac salva manente, in suis actionibus

impediri non potest, licet pendeat in illis ab independente divina natura λόγος, communicantis infinitam suam majestatem atque potestatem ad communem usurpationem, Job. V, 17-30.

Subsistentia τῆς λόγος non est communicata humanae naturae assumtae. Pag. m. 99. Aphorismus 5.
Est falsus & erroneus. Nam omnino verum est, quod humana

Christi natura assumta sit in subsistentiam τῆς λόγος; minime autem exinde

exinde